



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Miracvlorvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

verb. sepultura nu. 5. eodemq; modo intelligendum.
puto, Sylu. eodem verb. quæst. 3.

RESOLVT. CCLXXIX.

- 1 *Episcopus non potest mutare qualitatem beneficij à fundatore appositam.*
- 2 *Dispositio defuncti, ubi certa est ab Episcopo alterari non potest.*
- 3 *Legatum factum ad opus illicitum, an hæredis lucro cedat.*
- 4 *Princeps tantum supremus potest ab vno quid auferre, & alteri dare.*

Qualitas beneficii à primo fundatore appositæ, an mutari possit per Episcopum.

- 1 **I**N casu hæredum Francisci de Nardelis, dicebam. annis elapsis, consultus quid sentirem, quod ubi iusta, & rationabilis est dispositio fundatoris, ea ab Episcopo, vel alio, Papa inferiore, Prælato mutari minimè potest, per text. in Clement. quia contingit de Religiof. domibus, & in cap. tua nobis, de testam. ubi dicitur, in omnibus pijs voluntatibus per locorum Episcopos providendum, ut secundum defuncti voluntatem vniuersa procedant, quò loco Abb. num. 5. Couar. nu. 11. annotarunt, à solo supremo Principe, qualis in Ecclesiasticis est Papa, vltimis voluntatibus, per plenitudinem potestatis, ob causam iustam derogari posse, iuxta Clement. quia contingit de Religiof. domibus, & docet Rochus de iure patronatus, in verb. pro eo num. 31. quæst. 15. Casar Lambertinus de iure patron. qu. 5. princ. artic. 3. nu. 6. Nauar. de reit. Eccles. qu. 1. mon. 50. numer. 5. & consil. 5. de præbend. numer. 3. edit. 2.

Est enim hæc assertio vniuersalis, de omnibus vltimis voluntatibus, modò iustæ, & rationabiles sunt, atque insuper certæ, seu indubitæ, sicut bene admonet Rochus citat. quæst. 25. ex Baldo, & alij regulam tradens vbi cumque dispositio defuncti certa est, respectu causæ personæ loci, & c. ab Episcopo alterari non possunt, sin verò dubium sit de voluntate defuncti ad loci Episcopum, haud dubiè pertinet eam interpretari, deinde si voluntas defuncti irrationabilis existat, poterit se Episcopus opponere, ut executio non ita sed aliter fiat: quandoquidem defunctus Episcopo legem imponere non potuit, quò minus de pijs suis foundationibus, aut relictis, secundum sacros Canones, quod rectum, & recens est, constituat sicuti iudicat, glof. citat. c. tua nobis, ver. voluntatem, & docet Abb. ibid. num. 5. idque etiam ciuili iure de relictis profanis traditum est, l. legatum, ff. de usufruct. legato, quod legatum ad opus illicitum, v.g. spectaculum in Ciuitate non permissum hæredibus, cedere non debeat, sed publica magistratus potestate cum hæredum consensu, ad aliud opus licitum applicari, quinimò si hæres, aut patronatus alijvè, quorum interest consentire, nolint, etiam ipsis inuitis, Prælati disponere poterit, maxime locum haberet, si mutatio aliqua facienda sit, cum præiudicio illorum, qui etiam consentire recusant: quandoquidem solius Principis supremi est auferre vni, & alteri dare, ait glof. in l. cap. constitutus, ver. à quocumque, de religiof. domibus, vel si qualitas, seu conditio à fundatore appositæ mutanda sit in totum, seu in perpetuum talem mutationem ab Episcopo institui non posse fateantur omnes, cum interim Lambertinus, & alij apud Rochum locis citatis permittant Episcopo, ut pro vna vicè, aut breui tempore mutationem, aliquam dispensatiuè ob causam rationabilem efficere possint.

PRAXIS MIRACVLORVM.

RESOLVT. CCLXXX.

- 1 *Miraculorum requisita recensentur, & num. 2. 3. 4. 5. & 6.*

Miracula ut propriè dici valeant, quæ requirantur.

- 1 **A**D Miraculorum verificationem, nonnulla concurrere debere, mihi suadeo.

Primò, ut sit aliquod arduum, & difficile, ut saturatio quinque millia hominum, cum quinque panibus, & duobus piscibus. Ioan. cap. 6. ubi ait, vnde ememus panes ut manducet hi, & Marc. 8. quis potest hos saturare in solitudine? ubi arduum, & difficile demonstratur, & pariter ut sit insolitum, ut sistere Solem, & Lunam Iosue 10. & 4. Reg. cap. 20. & Isai. cap. 38. ubi est magna difficultas, an siterint omnes Cæli, vide pro hac materia Sot. 4. sent. dist. 48. q. 2. art. 2. & quod insolitum sit à Deo, ostenditur ex eo quod necesse est, quod præsumitur Martyres à Deo impetrasse, quæ mandat, cap. si quis preposita 50. distin. & hoc casu procedit illum quod dicitur facere miracula, est donum Spiritus sancti, ut in cap. quærendum, de penit. dist. 2. & ibi notat alios, non est miraculum sicut fecerunt Magi Pharaonis, qui fecerunt ranas, & serpentes conuertentes eorum virgas sicut faciebat Moyses, de quib. in c. nec mirum 26. q. 5. & illud propriè dicitur præstigium, c. re vera, & ibi Arch. de consecrat. d. 2.

- 2 Secundo requiritur quod sit contra naturam, sicut dictum est de virga Moysis, mutata in serpentem, & de Asina loquente ad Balaam, de quibus in cap. re vera, & in cap. cum ex iniuncto, de hæret. & in d. cap. re vera ponitur de virtute dictæ virgæ, de qua etiam habetur Exod. 68. 14. 16. 17. & Ios. & 4. & confert illud simile in Ioan. c. 9. de cæco nato, ubi fecit lutum, quod non solum non est illuminatiuum, sed obæcantiuum.

- 3 Tercio fit fiat de his, quæ raro fiunt, ut Dignus Augustinus lib. de viliis, creden. ad Honoratum c. 16. Th. loc. cit. art. 7. ad secundum, & 2. art. 1. & 2. vide addit. Ant. Franc. in Pan. in d. cap. cum Marthæ num. 7. lit. B. patet in languido Ioan. cap. 5. vadit, & amplius noli peccare, & de paralitico, siue hydropico, Lucas cap. 13. remittuntur tibi peccata tua.

- 4 Quarto, ut fiat statim, illico, protinus, repente, nam si fieret successiue, non diceretur verè miraculum D. Thom. loc. citat. art. 8. Bed. & Hier. super Luc. c. 4. de Soero Simon imperauit febri, & statim ita de Lazaro, statim, ita de filio viduæ, statim, & alia quam plurima, nec obstat, illud Mar. c. 8. de cæco illuminato paulatim, & successiue, quia etiam paruula temporis mora fuit sanatus, & facit ad hoc dictum Turrecrenate in c. sunt plures, de penit. dist. 1. & D. Thom. in 3. par. Summa q. 44. art. 3. ubi dicit miracula fieri subito, in instanti, & perfectè, & illum cæcum, de quo habetur Marc. 8. non recepisse statim visum, propter eius infidelitatem, secundum Chrysost. vel secundum Bedam, quem Christus vno verbo totum, simul curare poterat, paulatim curauit, ut magnitudinem humanæ cecitatis ostenderet, quæ vix, & quasi per gradus ad lucem redit, facit text. in c. maiores §. ubi adhuc de Baptismo, nec etiam ille cæcus, recessit a præsentia Christi, quin totus efficeretur sanus.

- 5 Quinto requiritur, quod non vi verborum, sed ex hominum merito illud contingat, nam panis, & vinum, potestare, & virtute verborum transubstantiantur in corpus, & sanguinem cap. cum Marth. extra de celebrat. Miss. & se requiritur quod miraculum sit euident, non autem latens, & credibile, ut est Eucharistia.

Sexto

6 Sexto requiritur, quod sit ad corroborationem fidei. Herba enim ministerio hominis transit in vitru, & nil ad corroborationem fidei. Ideo ad canonizationem, nisi hæc loquatur, concurrerent in miraculo, non prodesse, quia non esset miraculum, sed potius miraculosum, ut dicit Ioan. Andr. in d. c. unico de reliq. & venerat. Sanct. in verb. Sedis. circa finem, & Host. in summa sup. al. ver. item querendum est, de miraculis, Anch. in d. c. teneamus 1. q. 1. Hostien. Ioan. Andr. & alij in c. venerabili de testibz.

RESOLVT. CCLXXXI.

- 1 Miracula propalari non possunt absque autoritate Romana Ecclesie.
- 2 Miracula an fieri possint à Dæmone, vel improbo viro.
- 3 Miracula quomodo cognoscuntur.
- 4 Episcopi debent esse cauti in miraculorum publicatione.

Miracula quando publicari possunt.

1 Non potest miraculum publicari, teneri, haberi, seu venerari sine autoritate, & approbatione Romana Ecclesie, c. 1. de reliq. & venerat. Sanct. & requiritur etiam approbatio Ordinarij, Conc. Trid. sess. 25. c. de inuocat. & venerat. Sanct. initio: ratio potest esse, quia miracula possunt fieri per malos homines, & Dæmones, c. teneamus 1. quest. 1. gl. in d. cap. 1. in ver. miracula, D. Thom. vbi supra, Mar. h. c. 7. & ca. 24. Hier. c. 23. Deut. cap. 13. Diu. Aug. lib. 10. ca. 16. de Ciuit. Dei, & homin. 9. in Apocal. & tractat. 110. in Ioan. Alexand. de Ales 2. par. quest. 43. mem. 10. prop. fin. D. Thom. super c. 12. Collect. 3. in cat. aur. super Luc. c. 1. referens Athan. in vita Sancti Hylar. super Matt. c. 7. & ibi Chrysost. super cap. 8. Luc. Sanctus Maxim. in hom. 1. Dominica Aduert. D. Tho. super c. 6. ad Ephes. lect. 3. prop. fin. Beda in c. 3. Ioan. super illa verba, dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, Alcuinus ibidem, & ibi gl. inter linea, Diu. Tho. 2. 2. quest. 1. ibi art. 3. & 1. p. quest. 61. art. 2. ad secundum, D. Aug. lib. 6. super Gen. ad literam, Mall. malef. q. 16. art. 10. ad octauum Sig. li. 1. c. vlt. par. 3. de frig. comp. Theol. lib. 2. c. 1. Sot. 4. & 5. dist. 43. quest. 2. art. 3. Diu. Thom. 2. in addit. 3. par. 77. art. vlt. & super c. 15. 1. Cor. lect. 8. quib. in locis habes an miracula possint fieri à Dæmonibus, vel à malis hominibus, vel à viris sanctis etiā nōdum canonizatis ab Ecclesia Catholica, & cognoscuntur primo ex fine, secundo ex modo, tertio ex tempore, quarto ex locis, D. Hier. in Matt. c. 8. super illa verba, venisti ante tempus, & in c. gl. ord. super Luc. c. 8. & ibi Cirill. & Nicef. in histor. Eccles. li. 1. c. Innoc. in c. 1. de reliq. & venerat. Sanct. Paris. 2. p. & sic quando succedunt in aliqua Diocesi sint cauti Reuerēdissimi Ordinarij, ne miracula promulgent, nisi prius id per testes legitimos fuerit sufficienter probatum, & processus suū aliquid huiusmodi mittatur ad Summū Rom. Pont. gl. citat. & cap. venerab. de testam. & ibi gl. Nauar. cap. 18. n. 5. notab. 4. & sic ab ipso Summo Pontif. expectetur determinatio, vide Bull. Leo X. quæ est 15. & incipit super ne vbi etiam inspirationes diuine non possunt publicari sine Sed. Apost. licentia, & Ordinariorum approbatione.

RESOLVT. CCLXXXII.

- 1 Canonizatio Sanctorum ut fieri possit, quæ concurrere debeant, & num. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.
- 13 Canonizatio Sanctorum Martyrum facilius fit, quam in ceteris Sanctis.

Praxis Aloys. Ricc. Pars IV.

Verificatis miraculis, quid agendum sit pro canonizatione.

1 Vodecim requisita concurrere debent verificatis miraculis alicuius viri, vitæ laudabilis pro eius canonizatione.

Primo debet expectari, quod aliquæ personæ honestæ, & authenticæ denuncient factum Roman. Pontif. & supplicent pro Canonizatione faciendâ, & hoc non semel, sed pluries, & instanter, sicut notatur de cessione, & petitione pallij, c. quoniam cedendi extra de renunciat. post petitam de elect. non enim consuevit statim moueri ad committendam talem inquisitionem Rom. Pontif. sed potius expectare, quamdiu pulsetur, & famam accedere, & vtrum miracula crescant, & continuentur, antequam inquisitionem committat, & benè, cum miracula, seu miraculosa quædam fiant per malos c. teneamus, & c. nec mirum 26. quest. 5. gl. & Doct. in c. cum ex iniuncto de heret. Bald. in ca. venerabili de testibus, vnde cauendum est, ne populus decipiat, ut in c. fin. extra de reliq. & venerat. Sanct. & quia circa maiora maius periculum vertitur, ideò cautius est agendum c. quiescamus 42. dist. ea miramur. 61. dist. c. nuper 7. q. 2. c. vbi periculum in princ. de elect. in 6. in l. 1. §. sed & si quis. de Carbo edicto, dicunt tamen aliqui quod si fiat elusio vix possunt continuari miracula vitra quadraginta dies.

2 Secundum est requisitum, quod si continuentur supplicationum instantiæ, & fama, & miraculorum continuatio perdurare dicatur, consuevit Roman. Pontif. hoc proponere inter fratres, & aliquibus Episcopis patriæ illius qui dicitur Sanctus, vel cōuiciniæ, vel alijs personis honestis, & incorruptibilibus committere, ut inquirent de fama, & deuotione populi, & de miraculis, & de alijs, quæ sunt eidem nuncianda in genere, & nō in specie, & quo ad famam, & non quo ad veritatē, & quod scribant, quæ inuenerint, & an eis videatur quod super veritate eorundē sit inquisitio cōmittēda.

3 Tertium est, si tales describunt talia per quæ videatur, quod inquisitio veritatis sit committēda, requirit iterum Summ. Pontif. Fratrum Consilia, ut definiat vtrum sit inquisitio committēda, vel non.

4 Quartum, quod si inquisitio ei committēda videtur, iterum rescribit eisdem, vel alijs, quod iterum veritatem requirant, primò de fama, secundo de vita, tertio de miraculis exactè diligenter, fideliter, prudenter secundum artic. & interrogatoria, quæ sub Bulla sua transmittit, de quò notatur in c. venerabilis, de testib. extra, & quod inuenerūt, remittat suis sigillis inclusū.

5 Quintum, quod remissa inquisitione, cōmittatur examinatio in Curia aliquib. Cappellanis, vel alijs personis authenticis, & discretis, quæ etiā format rubricas.

6 Sextum, quod rubricæ sint factæ exacta diligentia examinetur per Papam, & eius fratres, & requiratur Papa consilia eiusdem, an scil. videantur probata talia propter quæ sit canonizatio non immeritò faciendâ.

7 Septimum, quod si videtur Papæ, quod sit faciendâ hoc secretè diffinit inter fratres, pro hoc facit, quod in simili dicitur de substantia ex forma electionis, ut norant Doct. in c. quia propter de elect. & ibi gl. in verb. maior.

8 Octauum, quod coadiunctis Episcopis, qui sunt præsentēs in Curia, narrat publicè in consistorio, ea quæ acta sunt, & probata secreta diffinitione, iam facta suppressa, requiratur consilium Prælatorum, facit gl. in ver. consilio in c. Anastasius 19. distinct. quæ dicit, quod Papa tenetur requirere consilium Episcoporum, vbi de fide agitur, quam gl. sequitur ibi Domin. Cardin. etiam facit, quod dicit Panorm. in c. significasti, de elect.

9 Nonum, quod assignatur certa dies, ut omnes conueniant ad certam Ecclesiam, in qua accenditur carei

LL multi,

multis, & sternitur tapetis Ecclesiae, & paratur, & illic conueniunt Papa, Fratres, & totus Clerus, & facit sermonem Summus Pontifex processum recitans, ut probata inducant populum ad adorandum, quod Deus nos permittat conseruare in hoc negotio.

10 Decimum, quod flexis genibus fiat deuota oratio, & cantetur Veni sancte Spiritus, vel alius hymnus, siue antiphona conueniens.

11 Vndecimum, quod surgat Papa ab oratione, & diffiniat illum, de quo agitur, sanctum esse, & Sanctorum Cathalogo conscribendum, & festum suum tali die colendum: in quantum dicitur Sanctorum Cathalogo conscribendum, facit pro hoc glos. notabil. in leos in verb. qui C. de offic. magistr. milit. quae dicit, quod qui non sunt scripti in matricula, sunt tanquam priuati: ideo dicit August. in Authen. de mand. princ. §. penult. in c. si quidem post glos. ibi in d. verb. Collect. 3. quod solum militibus scriptis in matricula danda sunt privilegia militaria, unde dicit Bald. in l. diximus in fine, ff. de excus. tutor. quod mercator non descriptus in matricula, non gaudet privilegio mercatorum facit c. si Romanos 19. dist. ubi probatur, quod qui non reperitur scriptus inter alios de Vniuersitate, non praesumitur esse de Vniuersitate.

12 Duodecimum, & vltimum requisitum est, quod catur Te Deum laudamus, & celebrat Papa Missam solemnitatem in honorem eiusdem Sancti, & in hoc quod dicit quod cantatur Te Deum laudamus, facit quia Ecclesia quotidie in officio in fine horae matutinae cantat illud Canticum, idem fit peracta Episcopi electione secundum Speculat. tit. de elect. §. 1. verfic. consequenter, in fine enim cuiuslibet operis laudandus est Deus, & gratiae sunt ei agenda: sicut facit, tam in fine celebrationis Missae, quam in fine horarum Canoniarum, dum dicit Deo gratias, facit c. de hymnus, de consecrat. dist. 1. & ibi glos. in verb. & hymno vult, quod Clerici post assumptionem cibi debent agere gratias Deo allegat, c. vlt. §. edent 44. dist. facit quod notatur in glos. fin. c. firmissime 15. quaest. 1.

Dicit tamen Ioan. Andr. in dicto ca. unico de reliq. & venerat. Sanct. 16. quod hic ordo haecenus non semper vsque ad vnguem est seruatus, maxime quando agebatur de martyrizatis pro fide; nam tales conseruauerunt facilius, & leuius expedire, & ita dicit tenere Hostiens. ex quo videtur concludere, quod haec forma, licet congrua, & honesta per Papam etiam de necessitate, non est obseruanda, & ut ex praedictis apparet probitas vitae, & legalitas, seu bona vita operatur ad sanctitatem consequendam, quae quidem sanctitas, seu probitas, aut legalitas maxime operatur in multis primo, ut hic ante dictum est.

RESOLVT. CCLXXXIII.

- 1 Miracula an probentur per testes singulares, & num. 2.
- 3 Testes singulares non coniunguntur, quando vnus deponit de confessione vnus partis, alius vero de alia.
- 4 Testes singulares probant quando agitur de probanda diuersitate miraculorum diuersis temporibus factorum.
- 5 Actus quando habeat vnum originem, illa origo probatur per testes singulares.

Miracula an probentur per testes singulares.

1 Archidiaconus in cap. nec mirum 26. quaest. 5. quem sequitur Abb. in consil. 42. tenet non probari per testes singulares, cuius opinio non caret ratione, ex regula generali, quod testes singulares regulariter non probant text. est in c. nihilominus, & ibi glos. 3. quaest. 9. & in c. tam literis de test. ubi glos. in versic. soli, & in cap. cum dilecti, de elect. & in cap. licet causam, ubi Abb. Collect. 2. de probat. Pet. de Ancha. in

consil. 276. Hyppol. in pract. §. diligentes col. 2. Felyn. in c. licet ex quadam colum. 3. & seq. de testib. Corn. in consil. 286. col. 2. vol. 3. vers. in consil. 134. in princ. vol. 1. Alex. col. fin. volum. 1. Item in repet. admonendi col. 94. ff. de iur. iuran. Grat. consil. 2. col. fin. vol. 2. Paris. consil. 57. colum. 2. vol. 1., quod adeo verum est Bald. in l. iurisiurandi col. 2. C. de test. tantum probant mille testes singulares quantum vnus, Alex. in consil. 18. col. fin. vol. 4. in consil. 20. & in consil. 71. vol. 4. Paris. consil. 57. col. 2. vol. 1. Marian. in consil. 90. n. 8. vol. 2.

3 Et adeo est vera supradicta conclusio, quod testes singulares non iunguntur, quando vnus deponit de confessione vnus partis, alius de alia, Alex. in consil. 68. col. 2. vol. 3. & in consil. 36. col. fin. volum. 5. Aymon. in consil. 73. enim in c. licet ex quadam col. 3. de testi. Salyc. in Auth. rogati in fin. C. de test. sentit Alex. in col. 175. col. 1. vol. 1. dum maior saluare testes probantes confessiones a singularitate sentiens, quod si non essent cum testes non probarent, Paris. in consil. 57. col. 3. vol. 1. Curt. sen. in repet. admonendi n. 1. 93. de iur. iuran. Alex. in consil. 53. col. final. vol. 1. Marian. iun. consil. 90. col. 2. volum. 2. & consil. 99. col. 3. vol. 2. Paul. de Castr. in consil. 143. col. 2. vol. 2. Bertrand. in consil. 175. col. 3. vol. 2. Aymo. de antiq. temp. in 4. p. n. 137.

4 Limita tamen supradictam conclusionem, quoties agitur de probanda diuersitate miraculorum, varijs temporibus factorum, quia tunc testes singulares probant ex regul. iuris, quod quoties agitur de probatione actus non momentanei, sed successiui, vel ad probandum quid in genere, tunc testes singulares sufficiunt glos. in l. ob tamen, §. fin. ff. de testibus, ubi etiam Butrig. & Bart. & Iac. de Arena in l. 2. C. quae sit longa consuet. Bald. in l. actor. col. 3. C. de probat. & in l. de quibus col. penult. ff. de legib. Alex. in consil. 85. col. fin. & in consil. 86. col. 3. vol. 2. & in consil. 92. colum. penult. vol. 2. & in consil. 110. col. fin. vol. 4. & in col. 13. col. fin. ubi dicit communem opin. vol. 7. Gram. in consil. 150. colum. 2. vol. 2. Marian. iun. consil. 90. col. 2. vol. 2. & ideo dicit Corn. in consil. 34. col. fin. vol. 2. quod ubi plures actus habent vniam originem, & vniam causam, illa causa, & illa origo probatur per testes singulares Arg. etiam tenet illam opinionem in consil. 233. vol. 2. Boer. decif. 239. Aymo. qui dicit hanc communem opinionem in consil. 73. n. 34. Gram. consil. 82. colum. penult. vol. 2. Aymo. de antiquit. tempor. in 4. parte num. 157.

RESOLVT. CCLXXXIV.

- 1 Miracula sunt ex causis, & quae sint ibidem.
- 2 Christi vnago aliquando percussa sanguinem effudit.

Miracula quare sunt.

1 Miracula sunt primo ad confirmationem sanctae praedicationis, Marci vlt. & haec potest facere etiam homo peccator, D. Tho. secundo ad propagationem fidei, D. Greg. in homil. Ascens. tertio ad ostendendum sanctitatem alicuius viri, ut de B. Stephano, Actor. 7. dicitur faciebat prodigia, quia plenus gratia, quarto ad ostendendum sanctitatem loci, ut Gen. 28. & Exod. 3. quinto ad conseruationem fidei, & ad fouendam charitatem fidelium, quae alioquin resufciscerent, Matt. c. 24. 1. Cor. c. 14. qui profetant hominibus loquuntur ad edificationem, & exortationem, & consolationem, D. Thom. 1. Cor. cap. 12. lect. 2. & sic augendam plebis Christianae deuotionem, sexto ad gloriam Dei. Actus ca. 4. Ioan. cap. 9. Psalm. 113. Septimo ad confirmandam veritatem sacrarum Imaginum, prout in septima Synodo generali, quae est secunda Nicena, sub Constantino, & Irene Imperatoribus, ubi agitur de Imagine Crucifixi percussa pugione emitti magnam sanguinis effusionem

tionem, ex Athanasio, & ex Imaginibus Sancti Cosmae, & Damiani, & sic videmus diuersis locis sacris hisce nostris temporibus fieri miracula circa corporum infirmitates, & ista possunt peti à Deo, Flor. Theol. 4. sent. tractat. de suffrag. art. 2. difficult. 2. conclus. 2. D. Thom. in 2. ad Thesal. c. 3. lect. 2. circa ult.

RESOLVT. CCLXXXV.

1 Informatio super miraculorum verificatione committi debet in dignitate constitutis, & mm. 2.

Quibus personis debet committi examinatio super vita, & miraculis alicuius.

1 Praesens quaestio resoluitur ex communi, ac generali conclus. delumpta ex ca. statum de rescriptis in 6. ubi committenda sunt personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, quem textum sepius canonicizauit Rota in decis. 31. 32. de rescript. in antiquis, & in decis. 1. de offic. delegatis in antiquis late Gratianus disceptat. forens. lib. 1. c. 93. Paris. de resignat. benefic. lib. 3. q. 5. Genue. in prax. c. 63.

2 Et propterea supposita supradicta conclusione Summus Pontifex debet committere inquisitionem super vitam, & miracula alicuius Sancti; viris doctis, & probis quibus ipse voluerit, sed praecipue committitur viris in dignitate Ecclesiastica constitutis, ut Archiepiscopis, & Episcopis, & his deficientibus dignitatibus, & Canonicis Ecclesiarum Cathedralium tenet Ioann. Andr. super. c. 1. de reliquijs, & veneratione Sanctorum.

RESOLVT. CCLXXXVI.

1 Testes qui recipi debent super miraculorum probatione, & num. 2.

Qui testes super miracula debent recipi.

1 Testes super miracula debent recipi, familiares, propinqui parentes, pater, & mater, qui fuerunt praesentes, qui maiorem cognitionem illius miraculi habent, medici, chirurgici, qui medicauerunt talem infirmum, & sciunt remedia medicinae non profuisse talibus infirmis c. 1. de reliquijs, & veneratione Sanctorum, c. venerabili de testib.

2 Qui testes debent esse bonae vitae, & famae, qui substantentur ex suis redditibus si fieri possit, timentes Deum, qui frequenter recipiunt Sacrae Eucharistiae Sacramentum, & omni exceptione maiores, Io. Andr. in c. venerabili de testibus, & alij communiter.

RESOLVT. CCLXXXVII.

1 Testis ut valide propter miraculorum verificationem deponere valeat quomodo se gerere debeat.

2 Miracula non requiruntur ad beatitudinem, sed quia non potest alicuius Sanctitas sine illis sciri.

3 Testes super miraculis, an simul examinari possint.

Testis deponens de miraculis qualiter sit examinandus.

1 Pro resolutione affirmandum est, quod testis deponens de miraculis examinandus est.

2 Solus, secretus, & sigillatim, cap. venerab. de testib. & ratio est, quoniam agitur de re magni momenti, quia multi non sancte faciunt miracula, aut vi verborum, ut consecratio Eucharistiae, aut vi parentelae, ut Rex Franciae, vel illi de Domo Sancti Pauli, Arte magica, aut ex caritate sola, ut de consecrat. dist. 4. solet, ut hic Aloys. Ricc. Prax. Pars IV.

par cesset. est glos. optima in cap. vnico. in verb. praecipimus, de reliq. & ven. sanc. in vi. requiruntur autem miracula, non quia sunt necessaria ad beatitudinem, sed quia non potest aliter sciri alicuius beatitudo, nisi per miracula, est autem miraculum secundum Bald. quando id quod non potest fieri per homines virtute humana, siue hominis ministerio.

3 Est tamen animaduertendum, quod quamuis supradiximus testes super miraculis soli examinantur, tamen si simul examinantur non valet examinatio, ut non glos. 2. in c. causam, & ibi Abb. in 1. col. & Spec. in titul. de test. §. nunc tractandum in princ. & in 3. colum. versic. sed pone pro dux, & hoc propter rationem glos. dicas tamen quod non est improbatum, immo utile alias personas esse praesentes, maxime in arduis secundum Bald. in l. nullum in 1. colum. versic. 4. ne C. de test. & Abb. in dicto cap. cum causam, & hinc est, quod de necessitate alij vocantur in cau. haereticis, ca. ut officium de haeret. in vi tamen in alijs causis sufficit Index cum suo Notario, ut per glos. in l. current. ff. de test. & in l. solam, C. eo, Butr. post alios in ca. quoniam contra, in colum. 1. de test.

RESOLVT. CCLXXXVIII.

1 Ordo quis seruandus est in formando processum super vita, & miraculis.

Quis ordo seruandus est in formando processu super vita, & miraculis alicuius.

1 In formando processu super vita, & miraculis alicuius Sancti, ex commissione Summi Pontificis canonizandi.

Duo Commissarii, vel tres, ad quos venit commissio directa conueniunt in aliqua Ecclesia, vel sacristia, & praesentata commissione à procuratore illius Religionis, vel persona, quae instat pro canonizatione, antiquior, vel dignior eorum Iudicium eam aperit, obedit, & osculatur, & ponit supra suum caput, & dat coniudicibus, & haec omnia scribuntur à Notario, & haec omnia probanda sunt per idoneos probatoresque vitae, ac legitimos testes, c. 1. & 2. de reliq. & venerat. Sancti, & in capit. venerabil. ubi omnes communiter de testibus.

RESOLVT. CCLXXXIX.

1 Discrimen quod consideratur inter gratiam, & miraculum.

2 Miracula an censi debeant quando quis in aliqua imagine Beatae Mariae Virginis gratiam recepit.

3 Miraculum potest fieri successiue, & in instanti.

Quenam sit differentia inter miraculum, & gratiam.

1 Vnt qui putant differentiam esse, quia gratia respicit, quod habeatur intetum intra tempus, sed miracula fiunt subito in instanti, & perfecte, ut per Zerol. in praxi Episcop. p. 1. vers. Miraculorum quaest. 2. Piafeg. in prax. Episc. ca. 3. artic. 3. num. 7. part. 2. D. Tho. in 3. par. q. 44. artic. 3. ad 2. ubi respondet ad argumentum illius cæci Marc. 8. qui non recepit statim visum, sed audiamus eius verba, Christus in instanti infirmis perfectam sanitatem conferebat, unde super illud Matth. 8. & surrexit, & ministrabat illius dicit Hieronymus, sanitas, quae confertur à Domino, tota simul reddit, specialiter autem in illo cæco contrarium fuit propter infidelitatem ipsius, ut Chrysostomus dicit, vel sicut Beda dicit, quem vno verbo totum simul curare poterat, paulatim curat, ut magnitudinem humanae cecitatis ostendat, quae vix, & quasi per gradus ad lucem redeat.

LL 2 hac

hæc D. Thom. quando ergo apparet, infirmos successe, & non in totum fuisse liberatos ab infirmitatibus, dicendum est, illa non esse miracula, non tamen negandum quin non sint gratia, quarum quotidie infinitum numerum misericors Deus elargitur nobis intercessione, & merito sanctorum.

- 2 Inde Genuens. in sua prax. cap. 49. in ultima impressione refert, fuisse dictum in Curia Archiepiscopali Neapolis non esse miracula, quæ dicebantur fieri in quadam Ecclesia Ciuitatis Neapoli virtute cuiusdam Imaginis Beatae Mariæ ex eo, quia plures personæ, quæ per longum tempus fuerant infirmæ, cum ad dictam Ecclesiam accessissent, statim receperant sanitatem, quoniam ex attestationib. medicorum apparebat, nõ fuisse in totum liberatas ab infirmitatibus, & miracula sunt ex omni parte perfecta, numquam enim Christus aliquem sanauit, quem non in totum liberauit ab infirmitatibus mentis, & corporis, vt dicit D. Augustinus in Can. sunt plures, & ibi Card. de Turrecremata de poenit. dist. 3. par. summ. quæst. 44. artic. in solut. ad secundum argumentum, vbi dicit miracula fieri subito, & in instanti, & perfecte, & illum cæcum de quo habetur Marc. 8. non recipisse statim, visum, propter eius infidelitatem secundum Christ. vel secundum Bedam, quem Christus vno Verbo totum simul curare poterat, paulatim curauit, vt magnitudinem humanæ cæcitatatis ostenderet quæ vix, & quasi per gradus ad lucem reddit, facit text. in ca. maiores §. vbi aduc. de Baptismo, non tamen poterat negari quin essent gratia, quarum quotidie infinitum numerum misericors Deus nobis elargitur intercessione Beatae Mariæ, & aliorum Sanctorum.

- 3 Non desunt tamen, & alij qui sentierunt miraculum posse fieri successe, & non in instanti, vt Caiet. q. 21. cent. 12. ad 3. Valq. in 1. part. tom. 2. disput. 214. cap. 2. num. 9. Maluitius de canonizat. Sanctorum dub. 3. num. 51. sed tutius est prima adharere opinioni.

RESOLVT. CCXC.

1. *Miracula an per Episcopum approbari possint.*
2. *Dictio, nisi, quam vim habeat, & num. 3.*
4. *Abbas exemptus an cognoscere possit de miraculis.*
5. *Verbum, nemini, quid importat.*

Miraculorum approbatio ad quem spectet.

- 1 Dicendum est ad Episcopum pertinere approbationem nouorum miraculorum, vt refert Thefaur. fori Ecclesiæ, c. 1. num. 21. par. 2. Pialeg. in praxi Episcopali par. 2. cap. 3. n. 18. & probatur ex Conc. Trident. sess. 25. de inuocatione, & veneratione Sanctorum, ibi (nulla etiam admittenda esse noua miracula, nec nouas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscante, & approbante Episcopo, qui simul atque de his aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, & alijs pijs viris, ea faciet, quæ veritati, & pietati consentanea iudicauerit.)

- Itaut Episcopi munus est examinandi, & approbandi noua miracula, cum ipsi soli, & non alio inferiori huiusmodi potestas concessa sit, etsi quasi Episcopalem iurisdictionem habeat, vt colligitur ex sacro Concil. loco cit. Ibi (nemini licere, nisi recognoscante, & approbante Episcopo) ponderando dictionem illam, nisi, quæ vim habet taxatiuæ dictionis, vt post alios quos adducit probat Barbof. in remis. Doctor. de dictionibus cap. 184. ponderando etiam verbum illud, nemini, quod importat omnimodam exclusionem, idem de dictionibus c. 179.

Vltra quod ibi fit mentio de Episcopo, & consequenter excludi debet inferior, vt in varijs casibus consultus respondit, & ita in proprijs terminis refert, & se-

quitur Macgræten. var. resolut. li. 1. resolut. fin. cas. 42. per hæc verba videlicet. Cum publicaretur noua miracula fieri in Ecclesia Annunciationis Beatissimæ Virginis Terræ montis Paganini intra fines Diocesis Aprutinae fuit dubitatum.

- 3 An illa essent recognoscenda solum ab Episcopo Aprutino ab eodemque approbanda, vel potius ab Abbate dictæ Ecclesiæ: Pro Episcopo allegabant Sacrum Concil. Trident. sess. 25. rubr. de inuocat. venerat. & Reliq. Sanct. in illis verbis, nemini licere nisi recognoscere, & approbante Episcopo, ponderabaturque dictio illa, nisi, quæ vim habet taxatiuæ dictionis, l. Consulto C. de testam. Couar. de sponsal. c. 4. par. 2. §. 1. n. 8. formatiue inducit Olsch. decil. 174. n. 2. Felin. in c. in causis n. 10. de testibus.

- 5 Ponderabantur insuper verbum illud, nemini, quod denotat omnimodam exclusionem. Abb. in cap. graue num. 8. de offic. ordin. & tandem illa verba, vel Ecclesia quomodolibet exempta, nam dictio quomodolibet comprehendit ea, quæ alias sui natura non comprehenderunt, Gozadin. consilio 1. num. 9. Curt. iun. consilio 1. num. 1. Soccin. sen. in l. quidam num. 5. ff. de rebus dub. Nat. consilio 455. numero 19. & in puncto vide Thefaur. fori Ecclesiæ. parte 2. capitul. 16. numero 21.

Quod comprobatur tum quia ibi fit mentio Episcopi vnde excluditur inferior, Tiraquell. de retract. conuent. glos. 6. num. 9. & 13.

Tum quia Episcopus Aprutinus ostendebat se esse in possessione, vel quasi visitandi dictum locum saltem vti Sedis Apostolicæ delegatum iuxta Sancta per Sacrum Concil. Tridentino sess. cap. 8. & sess. 21. capitul. 8.

Nec non exercuisse ibidem ea, quæ sunt ordinis imperscriptibilia c. veniens de præscript. Abb. cap. cum olim num. 5. eodem titulo, Bald. de præscript. par. 1. q. 5. princ. q. 12. n. 5.

Insuper excommunicationem pro rebus de perditis concessisse, iuxta disposita per Sac. Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. de reformatione.

Et licet ex parte dicti Abbatis, adduceretur ipsum posse recognoscere dicta miracula, cum in dicto loco iura quædam exerceat Episcopalia, puta concedendo literas dimissoriales ad ordines, & cognoscendo de causis matrimonialibus, & criminalibus Clericorum, & approbando Confessarios ad dicta per Nauarr. de sponsal. lib. 4. conf. 5. & de loco compet. consil. 2. num. 4. Paris. consil. 22. num. 14. vol. 4.

Et corroboratur ex eo, quod Ordinarius dicitur quilibet habens iurisdictionem ordinariam, vt per Paris. de resignat. benefic. li. 3. & seq. Felyn. in c. decernimus n. 9. de iudic.

Nihilominus fuit replicatum, supradicta omnia fieri per Abbatem contra Sacrum Concil. Trident. de reformat. sess. 25. c. 15.

Præterea præscribens in vno, non dicitur præscribere in alio, Abb. in c. auditis n. 9. Felyn. n. 28. de præscript.

Demum dictum Concilium loqui in specie de Episcopo non autem vti verbo Ordinario faciunt dicta per Nauarr. de sponsal. dicto consil. 5. n. 2.

PRAXIS IVRIVM PAROCHIALIVM.

RESOLVT. CCXCI.

1. *Parochia quæ dicatur.*
2. *Curatus ad effectum, vt iura Episcopalia consequatur, sat est vt per eum non stet quin Sacramenta ministret.*
3. *Parochiani vnius Parochiæ licet in aliena Sacramenta suscipiant non tamen per hoc illius efficiunt.*

4. *Cura.*